

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. X - N. 2

---

1978

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1978

|   |     |
|---|-----|
| <i>Salutatio</i> . . . . .  | 130 |
| EX ACTIS PAULI PP. VI   |     |
| <i>Litterae Apostolicae motu proprio datae</i>  |     |
| <i>De Sacri Pallii concessione moderanda in Ecclesia Latina</i> . . . . .                                   | 131 |
| EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. I  |     |
| <i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i> . . . . .  | 133 |
| EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II   |     |
| <i>Allocutio ad Em.mos S. R. E. Cardinales</i> . . . . .  | 142 |
| <i>Allocutio de momento linguae Latinae</i> . . . . .   | 150 |
| EX ACTIS SANCTAE SEDIS  |     |
| <i>Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal</i>   |     |
| <i>Declaratio et definitiva sententia Miamien. Incardinationis</i> . . . . .                                | 152 |
| <i>Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis</i>  |     |
| <i>De procedura sequenda in remotione parochorum</i> . . . . .  | 159 |
| ACTA COMMISSIONIS   |     |
| <i>Opera Consultorum in recognoscendis schematibus</i>  |     |
| I. Coetus studiorum de Institutis vitae consecratae per professionem<br>consiliorum evangelicorum . . . . . | 160 |
| II. Coetus studiorum de Sacramentis - De Ordine . . . . .   | 179 |
| III. Coetus studiorum de Processibus . . . . .  | 209 |
| DOCUMENTA   |     |
| <i>Una questione elegante: favorevole o odiosa la norma penale? (P. Card. Felici)</i>                       | 273 |
| NOTITIAE . . . . .  | 281 |
| INDICES . . . . .   | 283 |
| I. Index locorum e Sacra Scriptura citatorum . . . . .  | 285 |
| II. Index locorum in quibus memoria Concilii Vaticanii II servatur . . . . .                                | 285 |
| III. Index locorum ex Concilii Vaticanii II textibus citatorum . . . . .                                    | 286 |
| IV. Index canonum CIC citatorum . . . . .   | 287 |
| V. Index nominum personarum . . . . .   | 290 |
| VI. Index rerum generalis . . . . .   | 293 |

SESSIO II  
(diebus 15-19 maii 1978 habita)

Adunatio diei 15 maii 1978

Art. 4

DE ALIIS TRIBUNALIS MINISTRIS

*Can. 36 (CIC 1585)*

*Cuilibet processui intersit notarius qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si non fuerint ab eo subscripta.*

— Consultor quidam proponit suppressionem verborum « qui actuarii officio fungatur », quia superflua sunt; in can. 297 (*De Populo Dei*) enim describuntur quaenam sint officia notarii (omnibus placet).

— Aliqui suggesserunt ut dicatur expresse munus notarii posse sive a viris sive a mulieribus suscipi.

Consultores respondent id esse superfluum quia norma, prout sonat, minime vetat hoc munus mulieribus, et praeterea quia in normis de Curia dioecesana (*De Populo Dei*) expresse dicitur etiam mulieres hoc munus notarii suscipere posse.

— Aliqui ex locis missionum proposuerunt ut dicatur acta, deficiente notario, subscribenda esse a iudice.

Alius Consultor censet aliquid de subscriptione iudicis necesse est ut dicatur in canone, secus aliqua acta quae subscribantur a iudice et non a notario nulla haberi deberent, quod esset absurdum.


Post brevem discussionem formula canonis ita mutatur:

« Cuilibet processui intersit notarius, adeo ut nulla habeantur acta, si non fuerint ab eo vel saltem a iudice subscripta ».

\* \* \*

Nonnulli proposuerunt ut hic mentio fiat de usu taeniolae magneticae in tribunalibus.

Unus Consultor hanc propositionem accipiens, vult in hunc locum transferre can. 326 § 2 (de admissione machinae magnetophonicae in audiencia processus contentiosi summarii), ita ut valeat pro omnibus processibus. At Relator censet usum horum instrumentorum admitti



debere tantum quoad depositiones partium ac testium, minime vero quoad alia acta processus; cum hac limitatione, placet transferre can. 326 § 2 in partem generalem. Alter Consultor concordat cum Relatore et proponit ut illa norma ponatur post can. 210.

Fit suffragatio an placeat ponere illam normam post can. 210: omnibus placet.

*Can. 37 (CIC 1591 et 1592)*

*Nisi lex particularis aliter caveat, ad acta iudicialia intimanda vel executioni mandanda adhibeantur cursores de quorum nominatione, qualitatibus et remotione servandae sunt normae in ipsa lege particulari statutae.*

— De sententia quorundam Organorum figura cursoris supprimi debet, quia non respondet realitati tribunalium ecclesiasticorum nostrorum temporum.

Aliquis Consultor censet legem cavere debere de aliquo legitimo modo citationis, quia in can. 151 dicitur acta processus nullius momenti esse si scheda citatoria non fuerit *legitime intimata* et praeterea in can. 153 effectus quidam iuridici tribuuntur *legitimae citationi*.

Duo Consultores autem censem ad tales effectus non requiri in lege cautiones de modo citationis sed requiri tantum ut constet citationem peractam revera fuisse. Quae omnia melius possunt dici in can. 147.

Suffragatur an placeat haec novissima propositio: placet 4, non placet 3.

Consequenter supprimitur can. 37.

*Can. 38 (CIC 1593)*

*Acta quae notarii et cursores conficiunt publicam fidem faciunt.*

— De hoc canone non factae sunt animadversiones. Deleri debent verba « et cursores ».

\* \* \*

Suppresso canone 37, placet Consultoribus supprimere etiam rubricam « Art. 4. De aliis tribunalis administris » et ponere cann. 36 et 38 sub Art. 3, cuius inscriptio erit: « De promotore iustitiae, vinculi defensore et notario ».

**CAPUT II**  
**DE TRIBUNALI ORDINARIO SECUNDÆ INSTANTIAE**

*Can. 39 (CIC 1594)*

§ 1. *A tribunali Episcopi Suffraganei appellatur ad tribunal Metropolitæ.*

§ 2. *In causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita vel coram Archiepiscopo qui caret Suffraganeis vel coram Episcopo dioecesano immediate Sedi Apostolicae subiecto fit appellatio ad tribunal eius dioecesis quam ipsi, probante Sede Apostolica, stabiliter designaverint.*

§ 3. *Pro causis coram Superiore provinciali actis tribunal secundæ instantiae est penes Supremum Moderatorem; pro causis actis coram Abbe locali, penes Supremum Moderatorem Congregationis monasticae; pro causis vero de quibus in can. 26, § 3, servetur praescriptum §§ 1-2 huius canonis.*

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 addatur « salvo praescripto can. 40 » (omnibus placet).

— Cum in novo Codice figura Metropolitæ sine suffraganeis suppressa erit et non amplius erunt Episcopi dioecesani immediate Sedi Apostolicae subiecti (cf. *Christus Dominus*, n. 40), redactio § 2 ita mutatur:

« In causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita, fit appellatio ad tribunal quod ipse, probante Sede Apostolica, stabiliter designaverit ».

— Suggestum est ut expungantur ex § 3 ultima verba (« pro causis vero ... »), quia superflua videntur (omnibus placet).

*Can. 40 (novus)*

§ 1. *Si quod tribunal primæ instantiae unicum inter plures dioeceses, ad normam can. 22, constitutum sit, Conferentia Episcopalis debet tribunal secundæ instantiae constituere, nisi illae dioeceses sint omnes eiusdem archidioecesis suffraganeæ et Conferentia ad appellaciones tribunal metropolitanum designet.*

§ 2. *Conferentia potest unum vel plura tribunalia secundæ instantiae constituere, etiam praeter casus de quibus in § 1.*

§ 3. *Quod attinet ad tribunalia secundae instantiae, de quibus in §§ 1-2, Conferentia vel Episcopus ab ea delegatus omnes habet potestates, quas Episcopus dioecesanus circa suum tribunal.*

— Aliquis petiit quo iure Episcoporum Conferentiae tribunal 2ae instantiae constituere possint, eo magis quod in canone nulla fit mentio approbationis S. Sedis.

Consultores respondent Conferentias id facere posse iure Codicis, qui a Summo Pontifice promulgabitur.

— Suggestum est ut expungantur ex § 1 ultima verba « et Conferentia ad appellationes tribunal metropolitanum designet », quia si illae dioeceses sunt omnes eiusdem archidioecesis suffraganeae, designatio tribunalis appellationis iam habetur vi can. 39, § 1. Propositio omnibus placet.

— Nonnullis minus placuit norma § 2, quia per talia nova tribunalia 2ae instantiae evacuatur momentum tribunalis metropolitani.

Consultores vero respondent normam § 2 non esse praceptivam (Conferentia potest ...); facultas quae datur est ad consulendum necessitatibus quorundam regionum.

— Consultores ponunt verbum « designatus » loco « delegatus » in § 3, ad vitandas quaestiones de natura illius potestatis an sit ordinaria vel delegata.

\* \* \*

— Nonnulli proposuerunt ut admittatur constitutio tribunalis 3ae instantiae in singulis regionibus, salvo iure adeundi tribunal S. R. Rotae.

Consultoribus propositio non placet, quia hoc modo evacuaretur tribunal Apostolicum, per quod assequitur bonum non parvi momenti scilicet uniformitas iurisprudentiae pro tota Ecclesia. Ceterum huiusmodi propositio superat facultates Coetus aliquid in hac materia discernendi.

— Aliquis notavit in schemate fere unquam mentionem fieri de tribunali delegato et petiit ut haec lacuna impleatur. Relator respondet Coetum consulto id fecisse ita ut, quantum fieri possit, non turbetur ordo publicus per iurisdictiones speciales, quae quidem, ut evidens est, non vetantur. Quod autem dari possit tribunal delegatum a S. Sede vel ab Episcopo eruitur sive ex normis generalibus sive quia in can. 102 § 2 (de Normis Generalibus) soli iudices vetantur ne potestatem iudicialem delegent.

Omnibus Consultoribus placet responsio Relatoris, uno tantum excepto, qui, ratione claritatis, vellet in Codice delineare totam potestatem iudicialem, tribunali delegato non excepto.

Ne autem videatur in Codice lacunam haberi, aliquis Consultor proponit ut expungatur ex rubricis capitum I-II-III huius Tituli verbum « ordinario », tribunali addito, et rubricae ita sonent:

- Cap. I: De tribunali primae instantiae;
- Cap. II: De tribunali secundae instantiae;
- Cap. III: De Apostolicae Sedis tribunalibus.

Fit suffragatio an placeat haec propositio: placet 5, non placet 2.

*Can. 41 (CIC 1596)*

*Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuerit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet.*

— Suggestum est ut resumatur can. 1595 CIC circa constitutionem tribunalis 2ae instantiae et componatur cum cann. 24, § 4 et 41 schematis. Propositio placet Consultoribus qui can. 41 ita redigunt:

« Tribunal secundae instantiae eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet. Si tamen in primo iudicii gradu secundum can. 24, § 4 iudex unicus sententiam tulit, tribunal secundae instantiae collegialiter procedat ».

— Consultor quidam dubium movet num considerari possit alia solutio ut nempe causa quae *collegialiter* in prima instantia cognita fuerit, in gradu appellationis a *iudice unico* definiatur. In M. P. « Causas matrimoniales » enim admittitur in gradu appellationis simplex decreta ratificationis, quod certe aliquid minus est quam iudicium ordinarium iudicis unici.

Haec propositio aliis Consultoribus non placet, quia, ut animadvertis alter Consultor, quo altior est gradus iudicii, maior est numerus iudicium.

Adunatio diei 16 maii 1978

CAPUT III  
DE ORDINARIIS APOSTOLICAE SEDIS TRIBUNALIBUS

Can. 42 (CIC 1597)

*Romanus Pontifex pro toto orbe catholico iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per ordinaria Sedis Apostolicae tribunalia, vel per iudices a se delegatos.*

— Suggestum est ut dicatur « pro tota Ecclesia catholica » loco « pro toto orbe catholico » (placet 3, non placet 5).

Can. 43 (CIC 1598)

*Tribunal ordinarium a Romano Pontifice constitutum appellacionibus recipiendis est Sacra Rota Romana.*

— Suggestum est ut deleatur verbum « sacra ». Propositio placet Consultoribus ita ut in toto Codice hoc tribunal apostolicum semper vocetur « Rota Romana ».

— Nonnulli petierunt ut describatur compositio tribunalis rotalis, non obstante can. 3, qui dicit tribunalia apostolica normis propriis regi (placet 3, non placet 5).

— Aliquis Episcopus suggestit ut etiam pro tribunali Rotae Romanae statuatur aliquid simile can. 101 schematis (de constitutione patronorum stabilium, a Tribunale stipendum recipientium).

Consultores respondent can. 101 etiam pro tribunali Rotae Romanae valere.

Can. 44 (CIC 1599)

§ 1. *Sacra Rota iudicat:*

1) *in secunda instantia causas quae ab ordinariis tribunalibus primae instantiae diiudicatae fuerint et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferantur;*

2) *in ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.*

*§ 2. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus in can. 5, § 2 aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat etiam in secunda et ulteriore instantia ope collegiorum trium iudicium seu turnorum qui sibi invicem succedunt.*

— Aliquis suggestit ut in hoc canone colligantur etiam quae de Rota Romana dicuntur in can. 5, § 2.

Consultoribus propositio non placet, quia agitur de materia diversa; in can. 5, § 2, enim, est quaestio de foro competenti, hic autem est quaestio de gradibus et speciebus tribunalium.

— Animadversiones quaedam factae sunt circa ordinem instantiarum qui habetur in canone; melior videtur sequens ordo: 1) in tertia vel ultima instantia; 2) in secunda instantia; 3) in prima instantia.

Consultoribus autem placet ordo qui habetur in canone, quia in § 1 indicantur quae Rota Romana iudicat ex potestate ordinaria, in § 2 autem quae ipsa iudicat ex potestate delegata.

— Consultores decernunt ut in n. 2 dicatur: « In tertia vel ulteriore instantia causas ab ipsa Rota Romana et ab aliis quibusvis tribunalibus iam cognitas, nisi res iudicata habeatur ».

— Suggestum est ut expungantur ex § 2 haec verba « ope collegiorum seu turnorum qui sibi invicem succedunt ».

Propositio placet omnibus Consultoribus, ideoque ultimum comma canonis ita erit: « ... easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, ipsa Rota iudicat etiam in secunda et ulteriori instantia ».

— Consultor quidam describere vellet modo exhaustivo in hoc canone totam competentiam Rotae Romanae, addendo ipsius competentiam extendi « etiam ad causas inter partem catholicam et acatholicam, vel inter partes acatholicas, sive ad latinam sive ad orientales ritus alterutra, vel utraque pars baptizata pertineat » (cf. *Regimini Ecclesiae Universae*, n. 109).

Propositio non placet aliis Consultoribus, quia ulteriores determinationes circa competentiam propriam Rotae Romanae, fieri debent proprio loco, scilicet in capite « De Curia Romana ».

#### *Can. 45 (CIC 1603)*

*§ 1. Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, ad normam legum, de quibus in can. 3, § 1, et canonum qui de singulis negotiorum generibus vigent, videt:*

- 1) *de impugnationibus adversus sententias rotales deque recursibus ad causas coram Sacra Romana Rota pendentes vel actas attinentibus;*
- 2) *de conflictu competentiae inter tribunalia inferioria;*
- 3) *de conflictibus competentiae inter Sedis Apostolicae Dicasteria;*
- 4) *de contentionibus ex actu potestatis administrativaee ecclesiasticae ortis;*
- 5) *de aliis negotiis vel quaestionibus, quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis ipsi deferantur.*

§ 2. *Supremi huius Tribunalis praeterea est, ad normam legum, de quibus in can. 3, § 1:*

- 1) *iustitiae recte administrationi invigilare, et in advocatos vel procuratores, si opus sit, animadvertere;*
- 2) *tribunalium, non excepta Sacra Romana Rota, competentiam prorogare;*
- 3) *de tribunalibus, de quibus in cann. 22 et 40, erigendis tractare.*

Aliquis Consultor censet hunc canonem noviter esse redigendum. Redactio enim, quae praebetur in schemate, continet propositum enucleandi omnia quae iure vigenti competunt Signaturae Apostolicae. Convenit potius ponere in canone principia generaliora de competentia Signaturae.

Relator, hanc suggestionem accipiens, proponit ut novus canon ita evolvatur:

- in § 1 loquendum est de competentia Signaturae in materia iudicaria;
- in § 2 loquendum est de competentia in materia contentioso-administrativa;
- in § 3 loquendum est de competentia in re administrativa.

Cum omnes Consultores sint concordes, ipsi communi consilio canonom ita redigunt:

« § 1. Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal cognoscit querelas nullitatis, petitiones restitutionis in integrum et alios recursus contra sententias rotales, necnon exceptiones suspicionis aliasque causas contra Auditores Rotae Romanae propter acta in exercitio ipsorum muneris; solvit conflictus competentiae de quibus in can. 47.

§ 2. Ipsum tribunal videt de contentionibus ortis ex actu potestatis

administrativae ecclesiasticae ad eam legitime delatis, de aliis controversiis administrativis quae a Romano Pontifice vel a Romanae Curiae Dicasteriis ipsae deferantur et de conflictu competentiae inter eadem Dicasteria.

§ 3. Supremi huius Tribunalis praeterea est:

- 1) iustitiae rectae administrationi invigilare et in advocationes vel procuratores, si opus sit, animadvertere;
- 2) tribunalium competentiam prorogare;
- 3) curare erectionem tribunalium de quibus in cann. 22 et 40 ».

Adunatio diei 17 maii 1978

#### TITULUS III

#### DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA

##### CAPUT I

##### DE OFFICIO IUDICUM ET TRIBUNALIS MINISTRORUM

*Can. 46 (CIC 1925 § 1)*

*Cum valde optandum sit ut lites in populo Dei evitentur, aut pacifice quamprimum componantur, proposita aliqua controversia quae privatum bonum respiciat, iudex in limine litis, aut quolibet alio processus stadio ante sententiam definitivam, partes hortetur, ut per transactiōnem vel compromissum in arbitros finis litis habeatur.*

— Nonnulli suggesserunt ut conamen reconciliationis, quod praescribitur in can. 46, fusius tractetur transferendo in hunc locum etiam canones 377-379 de compromisso in arbitros qui habentur in schemate.

Plures Consultores bene accipiunt hanc propositionem, at Relator praefert sistema nostri schematis, quod in can. 46 praebet adhortationem genericam ad fovendam reconciliationem et in aliis locis praebet normas de conamine reconciliationis quae proprius respondent singulis generibus causarum.

Consultor quidam concordat cum Relatore de servando systemate schematis, censet autem can. 46 melius redigi posse ut innuatur de omnibus possibilibus modis reconciliationis et non tantum ope transactionis et compromissi in arbitros.

Post brevem disceptationem fit suffragatio an placeat systema schematis: placet 5, non placet 3.

Consultor quidam novam formulam canonis ita proponit:

« § 1. Christifideles omnes, in primis autem Episcopi sedulo laborent ut, salva iustitia, lites in Populo Dei quantum fieri possit vitentur vel pacifice quamprimum componantur.

§ 2. Iudex in limine litis, et etiam quolibet alio momento, quandocumque spem aliquam boni exitus perspicit, partes hortari et adiuvare ne omittat, ut de aequa controversiae solutione quaerenda communi consilio current, viasque ad hoc propositum idoneas ipsis indicet, gravibus quoque hominibus ad mediationem forte adhibitis.

§ 3. Quod si circa privatum partium bonum lis versetur, dispiciat iudex num transactione vel arbitrorum iudicio finem habere utiliter possit.

§ 4. Conferentia Episcopalis statuere potest ut in unaquaque dioecesi officium quoddam vel consilium stabiliter constituatur, cui, secundum normas ab ipsa Conferentia statuendas, munus sit aequas litium solutiones quaerere et sugerere; etiam autem si Conferentia id non iusserit, potest Episcopus eiusmodi officium seu consilium constituere ».

Consultores formulam approbant, excepta § 4, quae aptius poni debet in parte de procedura administrativa.

Can. 47 (CIC 1612)

§ 1. *Si inter duos pluresve iudices eidem tribunalii appellationis subjectos, ad normam cann. 39-40, controversia oriatur quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res definienda est a tribunalii appellationis.*

§ 2. *Quodsi distinctis tribunalibus appellationis subsint, controversia definienda erit a tribunalii appellationis illius iudicis, coram quo actio primo mota est; sin autem alterutrum tribunalium sit alterius tribunal appellationis, controversia definienda est a Signatura Apostolica.*

— Suggestum est ut expungantur ex § 1 verba « ad normam cann. 39-40 » (omnibus placet).

— Duo Consultores proponunt ut in casu de quo in § 2 semper conflictus competentiae solvatur a Signatura Apostolica. Propositio placet et ideo formula § 2 ita mutatur:

« *Quod si distinctis tribunalibus appellationis subsint, controversia definienda est a Signatura Apostolica.* »

— Can. 47, uti supra dictum est, poni debet post can. 15.

\* \* \*

Aliquis suggestit ut sub hoc Titulo novus canon inseratur, quo edicatur de modo obtainendi probationem per commissionem rogatoriam, ubi pars vel testis facile arcessiri nequit.

Consultores respondent rei provisum esse per can. 202, § 3 Schematis.

*Can. 48 (CIC 1571)*

*Qui causam vidit in uno iudicii gradu vel advocatum aut procuratorem, promotorem iustitiae, vinculi defensorem, peritum vel testem egerit, nequit postea valide eandem causam cognoscere aut in eadem munus assessoris vel auditoris agere.*

— Cum quaedam impugnations sententiae fieri possint apud idem tribunal quod sententiam tulit (cf. cann. 281, 300 ...), suggestum est ut initio canonis haec clausula ponatur: « Salvo contrario legis praescripto, qui causam ... ».

Consultores censem hanc clausulam esse superfluam.

— Consultor quidam proponit ut canon ita mutetur: « Qui causae interfuit tamquam iudex, promotor iustitiae, defensor vinculi, procurator, advocatus, testis aut peritus, nequit postea valide eandem causam in alia instantia tamquam iudex definire aut in eadem munus assessoris agere ».

Haec formula omnibus placet.

*Can. 49 (CIC 1613)*

*§ 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et in secundo, tertio et quarto gradu lineae collateralis vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua aliquod ex muneribus de quibus in can. 48 egerit.*

*§ 2. In iisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi, assessor et auditor.*

— Suggestum est ut dicatur « ... in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum gradum lineae collateralis ... » (placet omnibus).

— Nonnullis suppressanda esse videntur ultima verba § 1 « vel

in qua ... », quia sufficit can. 48 ad tales casus praecavendos, qui quidem casus locum dant exceptioni incompetentiae et non suspicionis.

Propositio omnibus placet.

*Can. 50 (CIC 1614)*

§ 1. *In casibus, de quibus in cann. 48 et 49, nisi iudex ipse abstineat, pars potest eum recusare.*

§ 2. *De recusatione videt Episcopus tribunalis moderator.*

§ 3. *Si ipse Episcopus sit iudex et contra ipsum recusatio opponatur, vel abstineat a iudicando, vel quaestionem recusationis committat tribunali appellationis.*

§ 4. *Si recusatio opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi aut alios tribunalis administratores, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.*

— Supprimi debet in § 1 citatio can. 48, quia illi casus pariunt invaliditatem et non est ergo tantum quaestio de recusatione.

— Suggestum est ut possilitas recusandi latior reddatur dicendo in § 1 partem iudicem recusare posse quem suspectum rationabiliter timeat.

Unus Consultor favet huic propositioni, sed alii Consultores non approbant cum censeant casus can. 49 tales esse ut comprehendant omnes casus frequentiores suspicionis.

— Quoad § 2 suggestum est ut de recusatione videat Vicarius Iudicialis et, si ipse recusetur, videat Episcopus.

Suggestio placet Consultoribus, qui ita § 2 redigunt:

« De recusatione videt Vicarius Iudicialis; si ipse recusetur, videt Episcopus qui tribunali praeest ».

— Consultor quidam proponit ut § 3 ita redigatur: « Si ipse Episcopus sit iudex et contra ipsum recusatio opponatur, abstineat a iudicando » (placet omnibus).

— Suggestum est ut de recusatione de qua in § 4 videat Vicarius Iudicialis, sed maior pars Consultorum praeferat normam prouti est. Fit suffragatio an placeat mutare normam: placet 2, non placet 5.

*Can. 51 (CIC 1615)*

§ 1. *Si recusatio iudicis unici vel aliquorum vel omnium iudicium, qui tribunal collegiale constituunt, admittatur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.*

§ 2. *Episcopi autem est in locum iudicum vel ministrorum, qui recusati sunt, alios subrogare.*

§ 3. *Quod si ipsius Episcopi recusatio admissa sit, idem peragat tribunal appellationis.*

— Consultores decernunt ut hic canon ad simpliciorem ac breviorrem formam redigatur his verbis: « Recusatione admissa, personae mutari debent, non vero iudicii gradus ».

*Can. 52 (CIC 1616)*

§ 1. *Quaestio de recusatione expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, neque ipsi recusati sint.*

§ 2. *Actus positi a iudice, cuius recusatio admissa est, validi sunt, praeter casus de quibus in can. 48; qui autem positi sunt post petitam recusationem, rescindi debent, si pars petat intra decem dies ab admissa recusatione.*

— Quoad § 1 aliquis suggestit ut promotor iustitiae semper audiatur etiamsi causae non intersit, quia quaestio de recusatione pertinet ad bonum publicum.

Consultoribus autem placet § 1 uti est.

— Consultor quidam proponit ut § 2 ita redigatur: « Actus positi a iudice antequam recusetur validi sunt; qui autem positi sunt post propositam recusationem, rescindi debent si pars petat intra decem dies ab admissa recusatione » (placet 5, non placet 2).

*Can. 53 (CIC 1618 et 1619)*

§ 1. *In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis. Causa autem legitime introducta ad normam can. 138 sqq., iudex procedere potest et debet ex officio, praeter alios casus iure expressos, in causis criminalibus aliisque quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt.*

§ 2. *Potest autem praeterea iudex partium neglegentiam in probationibus afferendis vel in exceptionibus opponendis supplere, quoties id necessarium censeat ad vitandam graviter iniustam sententiam, firmis praescriptis cann. 217 et 259.*

— Consultores, communi consilio, ita § 1 mutant: « In negotio quod ... partis. Causa autem legitime introducta, iudex procedere po-

test et debet etiam ex officio in causis criminalibus aliisque quae ... respiciunt ».

— Quoad § 2 autem duo Consultores vellent iudici tribuere non tantum facultatem sed officium supplendi neglegentiam partium in probationibus afferendis vel in exceptionibus opponendis. Sed Relator animadvertisit id gravamen valde onerosum esse, quod anxietates magnas in animo iudicis inferret.

Facta brevi discussione, Consultoribus placet servare § 2 uti est.

*Can. 54 (CIC 1620)*

§ 1. *Iudices et tribunalia carent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in tribunali primae instantiae ultra annum cum dimidio non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra novem menses. Quodsi termini ita statuti non serventur, ratio statim reddenda est Sanctae Sedi.*

§ 2. *Si partes se gravatas putent a negligentia iudicis recurrere semper possunt ad Episcopum.*

— Circa terminos in § 1 statutos ne ultra illos causae protrahantur, animadversiones quae factae sunt tendunt ut illi termini breviores sint, quare Consultores normam ita mutant: « ... in tribunali primae instantiae ultra annum non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae ultra sex menses ... ».

— De ultima clausula § 1 perplures dixerunt nimis duram et onerosam esse, quare Consultoribus placet illam delere.

— Nonnulli proposuerunt ut § 2 deleatur, quia norma inefficax videtur (placet omnibus).

*Can. 55 (CIC 1621)*

§ 1. *Excepto Episcopo qui per se potestatem iudicariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusurandum de officio rite et fideliter implendo coram Ordinario vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram sacerdote ab alterutro delegato, praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si pro peculiari aliqua causa sint constituti.*

§ 2. *Etiam iudex a Sede Apostolica delegatus vel iudex ordinarius in religione clericali iuris pontificii idem iusurandum praestare debet cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat.*

— Consultoribus placet § 1 ad simpliciorem formam ita redigere:  
 « Omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt iusiurandum de officio rite et fideliter implendo praestare debent ».

— Nonnulli proposuerunt ut § 2 deleatur quia norma superflua videtur (placet omnibus).

*Can. 56 (CIC 1622)*

§ 1. *Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, interpretibus, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et tacto Evangeliorum libro.*

§ 2. *Iudex partem, testem aut peritum aut interpretem ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisurandi violatores, tum etiam de poenis in eos qui falsum in iudicio iurati affirmant.*

§ 3. *Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato, adstantibus partibus quae interesse velint.*

— Aliqui Consultores censem hunc canonem supprimi posse quia non necessarius videtur (placet omnibus).

*Can. 57 (CIC 1623)*

§ 1. *In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.*

§ 2. *Tenentur etiam semper ad secretum servandum de discussione quae inter iudices in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.*

§ 3. *Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praefeat ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommode oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.*

— Cum animadversiones circa hunc canonem factae minimi momenti sint, Consultoribus placet illum prouti est servare.

*Can. 58 (CIC 1624)*

*Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii munera quaevis acceptare prohibentur.*

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

*Can. 59 (CIC 1625)*

*§ 1. Iudices qui, cum certe et evidenter competentes sint, ius redere recusent, vel qui temere se competentes declarant, vel qui ex dolo aut gravi negligentia aliud litigantibus damnum inferant, congruis poenis a competenti auctoritate puniri possunt non exclusa officii privatione.*

*§ 2. Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicaverint, puniantur mulcta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, salvo iure particulari quo graviores poenae praescribantur.*

*§ 3. Iisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.*

— Consultor quidam censem hunc canonem redigi posse per simplificem remissionem ad canones poenales, sed Relatori opportuna videtur descriptio facti speciei quae hic habetur.

Post brevem disceptationem omnibus placet canonem servare in hoc loco.

Quoad redactionem placet propositio quam facit idem Consultor suppressendi § 2 et ita § 1 mutandi: « Iudices ... se competentes declarant, vel secreti legem violent, vel ex dolo aut gravi negligentia ... ».

— Suggestum est ut in § 3 dicatur « ministri » loco « officiales » (placet omnibus).

*Can. 60 (CIC 1626)*

*Cum iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.*

— Consultoribus placet hunc canonem delere, quia practice non observatur.

**CAPUT II**  
**DE ORDINE COGNITIONUM**

*Can. 61 (CIC 1627)*

*Iudices et tribunalia debent causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae et in albo signatae, nisi qua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto, rationibus suffulto, a iudice seu a tribunali statuendum est.*

— Consultores, communi consilio, ita formulam huius canonis ad simpliciorem formam redigunt:

« Causae cognoscenda sunt eo ordine quo fuerunt propositae et in albo signatae, nisi qua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto, rationibus suffulto, statuendum est ».

Adunatio diei 18 maii 1978

*Can. 62 (CIC 1628)*

§ 1. *Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, proponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iure iurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.*

§ 2. *Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.*

— Nonnulli suggesserunt ut in § 1 norma addatur qua dicatur exceptiones tractandas esse statim secundum regulas circa quaestiones incidentes, suspensa interim causa principali.

De sententia Consulorum autem commendari potest ut *quamprimum* exceptiones definiantur, at non potest statui ut *statim* definiantur, quia quandoque iudex necessitatem habet cognoscendi acta ante definitionem exceptionis.

Ideo Consuloribus placet ita formulam § 1 mutare: « *Exceptiones ... proponendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint, et quamprimum definiendae* ».

*Can. 63 (CIC 1610)*

§ 1. *Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.*

§ 2. *In casu exceptionis de incompetencia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem, at non prohibentur cetera iuris remedia.*

§ 3. *Quod si iudex se incompetenter declareret, pars quae se gravatam reputat, potest intra quindecim dierum spatium provocare ad tribunal appellationis.*

— Suggestum est ut in § 2 distincite indicentur quaenam sint remedia iuris quae non prohibentur.

Relator censet concedendam esse querelam nullitatis et restitutio-  
nem in integrum.

Consultor quidam vult concedere tantum querelam nullitatis, quia si concedatur restitutio in integrum idem est in praxi ac concedere ius ad appellandum. Haec ratio non admittitur a duobus Consultoribus quia, dicunt ipsi, restitutio in integrum peti potest tantum propter motiva in lege determinata.

Post brevem discussionem fit suffragatio an placeat penitus delere verba « at non prohibentur cetera iuris remedia »: placet 1 - non placet 6.

Deinde fit suffragatio an placeat explicitare illa iuris remedia di-  
cendo in canone: « at non prohibentur querela nullitatis et restitutio  
in integrum »: placet 6 - non placet 1.

— Suggestum est ut in § 3 dicatur: « intra quindecim dies utiles »  
loco « intra quindecim dierum spatium » (placet omnibus).

*Can. 64 (CIC 1611)*

*Iudex se incompetenter agnoscens, declarare tenetur suam incom-  
petentiam absolutam, quovis momento causae; incompetentiam vero  
relativam debet declarare ante litis contestationem, neque postea potest  
nisi pars petat ad normam can. 62 § 1.*

— Consultor quidam censet deleri posse altera pars canonis, quia incompetencia relativa non declaratur nisi petatur ad normam can. 62. Haec propositio placet omnibus. Quoad formulam huius canonis, resu-  
mitur textus can. 1611 CIC.

*Can. 65 (CIC 1629)*

*§ 1. Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur litis finitae, veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensis, nisi probet se oppositionem malitiosa non distulisse.*

*§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae proponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.*

— Circa redactionem § 1 nonnullis non placuit ut tradantur in textu legis exempla, quare petierunt suppressionem verborum « veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc. ».

De sententia alicuius Consultoris exempla non sunt hic inutilia, quia verbum « exceptio » non habet sensum univocum, attamen ad vietandam sane amplificationem per exempla ipse Consultor proponit hanc formulam, quae omnibus placet:

« Exceptiones rei iudicatae, transactionis et aliae peremptoriae, quae dicuntur litis finitae, proponi et cognosci debent ante contestationem litis ... ».

— Duo Consultores proponunt ut eadem ratio habeatur pro omnibus exceptionibus; qua de causa §§ 1 et 2 in unam tantum § reduci possunt.

Alter Consultor vero censet exceptiones de quibus in § 2, quovis tempore proponi posse; ipse tamen proponit suppressionem § 2, quia si nihil dicitur, clare appareat propositionem illarum exceptionum nullo termino circumscribi.

Post brevem discussionem approbatur hic textus § 2: « Aliae exceptiones peremptoriae proponantur in contestatione litis, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes ».

*Can. 66 (CIC 1630)*

*§ 1. Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen, proponi possunt.*

*§ 2. Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.*

— Cum actiones reconventionales saepe novam vel supplementarem instructionem causae importent, suggestum est ab aliquibus ut ipsae proponi tantum possint in contestatione litis vel, ad summum, ante conclusum in causa.

Consultoribus placet ut proponi possint « ante conclusionem in causa ».

*Can. 67 (CIC 1631)*

*Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videnda regulariter sunt ante litis contestationem.*

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

*Can. 68 (CIC 1633)*

§ 1. *Si quaestio praeiudicialis aliaeve incidentes oriantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.*

§ 2. *Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definiantur.*

§ 3. *Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.*

— Cum normae huius canonis obviae appareant, aliquis Consultor proponit ut supprimantur (omnibus placet).

\* \* \*

Hac recognitione Cap. II peracta, committitur alicui Consultori ut totum caput ad simpliciorem formam reddat.

**CAPUT III**  
**DE TERMINIS ET DILATIONIBUS**

*Can. 69 (CIC 1634)*

§ 1. *Fatalia legis quae dicuntur, idest termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.*

§ 2. *Termini autem iudiciales et conventionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel potentibus partibus, prorogari.*

*§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.*

— De hoc canone non factae sunt animadversiones.

*Can. 70 (novus)*

*Ubi lex terminos haud statuat ad actus processuales peragendos, iudex illos praefinire debet, habita ratione naturae cuiuscumque actus et eiusdem difficultatum.*

— Consultoribus placet delere ultima verba huius canonis « et eiusdem difficultatum », quae superflua videntur.

*Can. 71 (CIC 1635)*

*Si dies, ad actum iudicialem indictus, sit feriatus nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum.*

— Consultor quidam, probantibus aliis Consultoribus, proponit ut formula canonis ita mutetur:

« Si in die ad actum iudicialem indicto vacaverit tribunal, terminus intelligitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum ».

#### CAPUT IV DE LOCO ET TEMPORE IUDICII

*Can. 72 (CIC 1636)*

*Uniuscuiusque tribunalis sedes sit, quantum fieri potest, stabilis, servatis normis iure particulari de hac re statutis.*

— Suggestum est ut deleantur verba « servatis normis iure particulari de hac re statutis » (placet omnibus).

*Can. 73 (CIC 1637)*

*Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Ordinario.*

— Suggestum fuit ut iudex etiam extra proprium territorium se

conferre possit ad acquirendas probationes. Propositio placet Consultoribus, qui ideo formulam canonis ita mutant:

§ 1. = Formula can. 73 prout est in schemate.

§ 2. Praeter casum de quo in § 1, iudex ex iusta causa et auditis partibus, potest ad probationes acquirendas etiam extra proprium territorium se conferre, de licentia tamen Episcopi dioecesani loci adeundi et in sede ab eodem designata ».

*Can. 74 (CIC 1638 et 1639)*

*Episcopus, publico decreto statuat:*

- 1) *quibus horis tribunal adiri possit;*
- 2) *quibus diebus, quamvis non sint festi de praecepto, omnia vel nonnulla acta iudicialia fieri non liceat, nisi ex causa necessitatis.*

— Suggestum fuit ut hic canon deleatur cum superfluuus videatur; inter munera Episcopi enim est invigilare ut officia Curiae dioecesanae suum ordinem habeant.

Cum suggestio pluribus placeat (placet 4, non placet 3), unus Consultor proponit ut in canone 73 haec verba addantur: « Uniuscuiusque tribunalis sedes sit, quantum fieri potest, stabilis, *quae statutis horis pateat* ». Haec novissima propositio omnibus placet.

Adunatio diei 19 maii 1978

#### CAPUT V

#### DE PERSONIS AD DISCEPTATIONEM IUDICIALEM ADMITTENDIS ET DE MODO CONFICIENDI ET CONSERVANDI ACTA

Nonnullis impropria videtur locutio huius Tituli « ad disceptationem iudicialem » admittendis, cum admissio personarum moderanda sit non tantum tempore disceptationis, sed toto tempore iudicii. Suggestio placet Consultoribus, qui ita locutionem mutant: « De personis in aulam admittendis et ... ».

*Can. 75 (CIC 1640)*

§ 1. *Nisi aliter lex particularis caveat, dum causae coram tribunali aguntur omnes ab aula arceantur et ii tantummodo adsint quos lex aut iudex ad processum expediendum necessarios esse statuerit.*

*§ 2. Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente quis peccaverit, potest congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam a munere apud tribunalia ecclesiastica exercendo suspendere.*

— Ex suggestione ab aliquo organo consultationis facta, formula § 1 ita emendatur: « Nisi ... coram tribunali aguntur ii tantummodo adsint in aula quos lex aut iudex ... ».

— Unus Consultor proponit ut poena comminetur in § 2 tantum illis qui coram tribunali sedente forte peccaverint, sed alii Consultores non concordant.

— Consultor quidam proponit ut deleantur verba « etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente quis peccaverit » (placet 5, non placet 3).

#### *Can. 76 (CIC 1641)*

*Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit. Illius autem declarationes scripto redigantur lingua originaria et translatio addatur.*

#### *Can. 77 (novus)*

*Si pars vel testis sit surdus, mutus, vel surdus et mutus, interrogaciones vel responsiones vel utraeque scripto fieri possunt, nisi iudex interpretis opera uti malit.*

— Proponente aliquo Consultore, duo canones in unum contrahuntur sequenti formula adhibita:

« Si aliqua persona interroganda utatur lingua iudici vel partibus ignota, adhibeatur interpres iuratus a iudice designatus. Declarationes tamen scripto redigantur lingua originaria et translatio addatur. Interpres etiam adhibeatur si surdus vel mutus interrogari debeat, nisi forte malit iudex ut quaestionibus ei datis scripto respondeat ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 6, non placet 2.

#### *Can. 78 (CIC 1642)*

*§ 1. Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu acta causae, ex. gr. sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae*

*ad formam procedendi pertinent, seu acta processus, ex. gr. citationes, intimationes, etc., scripto redacta esse debent.*

§ 2. *Interrogationes et responsiones partium et testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent. Alia acta, quatenus fieri potest, latina lingua redigantur.*

— Suggestum est ut expungantur e textu § 1 omnia exempla allata (omnibus placet).

— Aliqui suggesterunt ut acta iudicialia imprimi possint mediis modernis, uti sunt teniolae magneticae et alia huiusmodi.

Consultores respondent haec media vetita non esse in usu tribunali, dummodo acta scripto postea consignentur, ut omni modo vitetur periculum falsificationis, cui illa media moderna facilius subiacent.

Unus Consultor proponit ut dicatur acta redacta esse debere scripto vel alio tutissimo modo a lege particulari statuto, sed aliis Consultoribus propositio non placet.

Tandem fit suffragatio an placeat servare textum schematis prouti est: placet 5, non placet 3.

— Nonnulli proposuerunt suppressionem § 2. Propositio placet 6, non placet 2.

*Can. 79 (CIC 1643)*

§ 1. *Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.*

§ 2. *Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.*

§ 3. *Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verum parti aut testi perfectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.*

Cum omnes Consultores velint hunc canonem ad simpliciorem formam redigere, duo Consultores proponunt ut §§ 1 et 2 huius canonis penitus supprimantur et ponatur ut § 2 canonis praecedentis haec formula: « Singula folia actorum numerentur et authenticitatis signo muniantur ». Formula omnibus placet.

Ideo can. 79 constabit una tantum §, quae est § 3 schematis, quaeque servatur prouti est, excepto verbo « actuarius » quod esse debet « notarius ».

*Can. 80 (CIC 1644)*

§ 1. In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam cann. 78-79 conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et cum testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommodo excrivi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.

§ 2. Si eo mittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam ibi communiter cognitam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet.

§ 3. In causis in quibus appellans, qui ad Sedem Apostolicam provocat, ad patrocinium gratuitum iam admissus fuerit, versio actorum fit cura tribunalis coram quo acta ipsa exarata sunt.

Loco formulae huius canonis, Consultores adhibere volunt formulam ab aliquo organo consultationis propositam, quae ita dicit.

« § 1. In casu appellationis, actorum exemplar, fide facta a notario de eius authenticitate, ad tribunal superius mittatur.

§ 2. Si acta exarata fuerint lingua tribunali superiori ignota, transferantur in aliam eidem tribunali cognitam, cautelis adhibitis ut de fideli translatione constet ».

*Can. 81 (CIC 1645)*

§ 1. Iudicio expleto, documenta processui praeconstituta, quae in privatorum dominio censentur, partibus restitui debent, retento tamen eorum exemplari.

§ 2. Acta et documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo tribunalis deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.

§ 3. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.

§ 4. Anonymae epistulae, quae nihil ad causae meritum conferunt itemque subscriptae, quae certo sint calumniosae, in actis ponи nequeunt.

Consultores, communi consilio, ita formulam mutant:

« § 1. Iudicio expleto, documenta quae in privatorum dominio sunt, restitui debent, retento tamen eorum exemplari.

§ 2. Notarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita ».

TITULUS IV  
DE PARTIBUS IN CAUSA

CAPUT I  
DE ACTORE ET DE REO CONVENTO

— Suggestum est ut inscriptio Cap. I ita sit: « De actore et de parte conventa » (omnibus placet).

Item in toto Cap. I loco verbi « reus » dici debet « pars ».

*Can. 82 (CIC 1646)*

*Quilibet, sive baptizatus sive non baptizatus, potest in iudicio agere; reus autem legitime conventus respondere debet.*

— Nonnullis canon minus placuit eo quod facultas agendi in iudicio etiam non baptizatis detur, qui tamen non subiacent iurisdictioni ecclesiasticae nisi indirecte.

Consultores censem canonem non esse immutandum, attenta response Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, d. 8-1-1973 (*A.A.S.* 65, 1973, 59) ubi non baptizatis agnoscitur ius accusandi matrimonium apud tribunalia ecclesiastica.

— Consultor quidam proponit ut addatur in canone « ... potest in iudicio agere nisi lege prohibeatur » (placet 3, non placet 4, 1 se abstinet).

Deinde fit suffragatio an placeat servare canonem prouti est in schemate: placet 5, non placet 1, 1 se abstinet.

*Can. 83 (CIC 1647)*

*Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.*

— De hoc canone factae non sunt animadversiones.

*Can. 84 (CIC 1648 et 1650)*

*§ 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.*

§ 2. *Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut hos non satis tueri posse ipsorum iura, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.*

§ 3. *Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus conexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, nisi lex particularis aliud statuat, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per se ipsos; si non expleverint, per curatorem Episcopi dioecesani auctoritate constitutum.*

§ 4. *Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad praescriptum iudicis; in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.*

— Consultores hanc additionem faciunt in § 2: « ... in iudicio per curatorem a iudice datum ».

— De sententia cuiusdam Consultoris textus § 3 (... agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu ...) ita sonat quasi etiam in § 1 minores et rationis usu carentes *per se ipsos* agant, etsi cum consensu patris vel tutoris; quod non est verum. Vi enim § 1 parentes aut tutores vel curatores directe agunt pro minoribus et rationis usu carentibus. Quare ipse Consultor proponit ut textus § 3 ita mutetur: « Sed in causis ... assecuti sint, agere et respondere queunt per se ipsos si aetatem quatuordecim annorum expleverint; si non expleverint, per curatorem a iudice constitutum ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 6, non placet 1.

#### *Can. 85 (CIC 1651)*

§ 1. *Ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adest, hic a iudice ecclesiastico admitti potest auditio, si fieri potest, Episcopo dioecesano eius cui datus est.*

§ 2. *Si tutor vel curator non est a civili auctoritate constitutus, vel, etsi constitutus, non est a iudice ecclesiastico admissus, ipse iudex curatorem ad causam designabit iudicialiter vel administrative pro sua pastorali prudentia.*

— Loco formulae huius canonis plures Consultores adhibere volunt formulam ab aliquo organo consultationis propositam, quae ita sonat: « Quoties adest tutor aut curator ab auctoritate civili constitutus, idem potest a iudice ecclesiastico admitti, auditio, si fieri potest, Episcopo

eius cui datus est; quod si non adsit aut non videatur admittendus, ipse iudex tutorem aut curatorem pro causa designabit ».

Fit suffragatio an placeat haec formula: placet 4, placet iuxta modum 3.

Modus: deleatur clausula « audito, si fieri potest, Episcopo ».

### Adunatio diei 20 maii 1978

*Can. 86 (CIC 1649, 1652, 1653)*

§ 1. Personae iuridicae repraesentantur hoc modo:

- 1) Ecclesia cathedralis ab Episcopo, aliae ecclesiae a rectore;
- 2) dioecesis et mensa episcopalnis ab Episcopo et alia beneficia a beneficiariis;
- 3) paroecia a parocho;
- 4) seminarium a rectore;
- 5) aliae personae iuridicae, si sunt collegiales repraesentantur ad normam constitutionum vel statutorum, non collegiales vero ad normam tabularum fundationis vel decreti erectionis; quae si de hac re sileant, Episcopus dioecesanus supplebit.

§ 2. Quoties periculo vertitur pecuniae summa ad quam alienandam alicuius consensus vel consilium vel licentia requiritur, idem consensus vel consilium vel licentia requiritur etiam ad litem inchoandam vel contestandam.

§ 3. Adversus eos de quibus in § 1, si in iudicio egerint non servato praescripto § 2, personae iuridicae ius est ad refectionem damnorum.

§ 4. In casu vero defectus vel negligentiae repraesentantis, potest ipse Ordinarius per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum iuridicarum quae sub eius iurisdictione sunt.

Attentis canonibus libri *De Populo Dei*, ubi recensentur personae iuridicae et ipsarum repraesentantes determinantur, Consultores hunc canonem ita redigunt:

« § 1. Personae iuridicae in iudicio stant per suos legitimos repraesentantes.

§ 2. In casu vero defectus ... (uti in § 4) ».

CAPUT II  
DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS

*Can. 87 (CIC 1655)*

§ 1. *In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.*

§ 2. *Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem ex officio constituat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.*

§ 3. *Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem sibi constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.*

§ 4. *At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.*

— Nonnullis minus placuit quod vi § 2 etiam in causis matrimonialibus iudex parti conventae carenti defensorem ex officio constituere debeat. Quare inter Consultores discussio habetur in qua sententiae non sunt concordes. Aliqui vellent excludere causas matrimoniales a norma § 2, alii autem opportunum ducunt ut semper defensor habeatur.

Tandem praevalet sententia excludendi causas matrimoniales a norma § 2.

— Consultoribus superflua videtur norma § 4, quae ideo deletur.

— Consultor quidam hanc novam redactionem canonis proponit, quae omnibus placet:

« § 1. Pars libere potest advocatum et procuratorem sibi constituere; sed, praeter casus §§ 2-3 statutos, potest quoque per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

§ 2. In iudicio criminali accusatus aut a se constitutum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 3. In iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, exceptis causis matrimonialibus, iudex parti carenti defensorem ex officio constituat ».

*Can. 88 (CIC 1656)*

§ 1. *Unicum quisque potest constituere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi expressa facultas eidem facta fuerit.*

§ 2. *Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem constituantur, hi ita designentur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.*

§ 3. *Advocati autem plures simul constitui queunt.*

§ 4. *Utrumque manus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.*

— Unus Consultor proponit ut § 4 deleatur, quia superflua videtur, cum nullibi prohibeatur cumulatio muneris procuratoris et advocati (omnibus placet).

*Can. 89 (CIC 1657)*

§ 1. *Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.*

§ 2. *Advocatus debet praeterea esse doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.*

§ 3. *Qui usque ad quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum coniunctus est cum iudicibus, promotore iustitiae vel defensore vinculi alicuius causae, non potest in eadem causa fungi munere procuratoris vel advocati.*

— Suggestum est ut deleatur § 3, cum illi qui interesse habent exceptionem suspicionis facere possint contra talem advocatum vel procuratorem (omnibus placet).

— Consultores communibus consiliis ita canonem redigunt:

« Procurator et advocatus esse debent aetate maiores et bonae famae. Advocatus debet praeterea esse catholicus, nisi Episcopus diocesanus aliter permittat, et doctor in iure canonico vel alioqui vere peritus et ab eodem Episcopo approbatus ».

*Can. 90 (CIC 1658)*

§ 1. *Quilibet a parte potest constituiri procurator, dummodo secundum praecedentem canonem idoneus sit, quin opus sit ut Ordinarii approbatio antecesserit.*

§ 2. *Advocatus autem ut ad patrocinium admittatur indiget licentia Episcopi quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis pro certa causa.*

§ 3. In iudicio coram Sanctae Sedis delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.

§ 4. Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can. 26, §§ 1-2 aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi a iudice qui causam videt.

— Consultores unanimiter censem can. 90 supprimi posse.

*Can. 91 (CIC 1659)*

§ 1. Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.

§ 2. Quod si mandans scribere nesciat vel nequeat hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.

*Can. 92 (CIC 1660)*

*Mandatum procurationis asservari debet in actis causae.*

*Can. 93 (CIC 1661)*

*Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, necesse est a parte vel a iudice mandatum habeat de quo in actis constare debet.*

— Consultor quidam proponit ut cann. 91-93 uno tantum canone ad simpliciorem formam ita redigantur:

« Procurator et advocatus antequam munus suscipient, mandatum authenticum apud tribunal deponere debent ».

Propositio haec omnibus placet.

*Can. 94 (novus)*

*Si quis, cum mandatum nequeat probare, libellum iudiciale ad iuris extinctionem impediendam exhibere nomine alterius velit, vel singulos actus urgente necessitate ponere in processu, potest arbitrio iudicis admitti, praestita, si res ferat, idonea cautione; actus autem qualibet vi caret, nisi, intra terminum peremptorium a iudice statuendum, mandatum rite probet.*

— Consultores hunc canonem ad simpliciorem formulam redigunt, quam ponere volunt tamquam § 2 canonis praecedentis. Formula ita sonat: « Ad iuris tamen extinctionem impediendam iudex potest pro-

curatorem admittere etiam non exhibito mandato, praestita si res ferat idonea cautione; actus autem qualibet vi caret, nisi intra terminum peremptorium a iudice statuendum, mandatum rite exhibeat ».

*Can. 95 (novus)*

*Procuratori valide notificantur omnia acta processualia quae partibus notificari debent vel possunt, nisi iudex aliter statuat.*

— Suggestum est ut haec norma deleatur, quia superflua videtur (placet 5, non placet 2).

*Can. 96 (CIC 1662)*

*Nisi speciale mandatum habuerit, procurator non potest valide renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, nec transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iuriandum et generaliter ea agere pro quibus ius requirit mandatum speciale.*

— Suggestum est ut deleantur verba « deferre aut referre iuriandum », cum in novo schemate non iam admittitur iuriandum ut probatio specifica (placet omnibus).

*Can. 97 (CIC 1663)*

*Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repellere sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.*

— Suggestum est ut dicatur « gravi tamen de causa » loco « iusta ... » (omnibus placet).

*Can. 98 (CIC 1664)*

*§ 1. Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.*

*§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.*

*§ 3. Advocati et procuratores vetantur renunciare mandato, lite pendente, nisi iusta de causa, a tribunali probanda.*

— Consultores communi consilio ita § 1 redigunt: « Ut procuratoris vel advocati remotio effectum sortiatur, necesse est ut ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione ».

— Suggestum est ut deleatur § 3 quae videtur superflua (placet omnibus).

— Consultor quidam proponit ut can. 98 ponatur post can. 96 (placet omnibus).

*Can. 99 (CIC 1665)*

§ 1. *Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.*

§ 2. *Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice poterunt poena pecuniaria multari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari ab Episcopo tribunalis moderatore.*

— Consultores communi consilio decernunt canonem una tantum § redigere, quae ita sonat:

« *Vetatur uterque ... pacisci. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice poterunt poena pecuniaria multari. Advocatus praeterea tum ab officio suspendi tum etiam, si recidivus sit, ab Episcopo qui tribunali praeest ex albo advocatorum expungi potest ».*

*Can. 100 (CIC 1666)*

*Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, a patrocinio exercendo suspendantur, et multa pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.*

— Unus Consultor proponit suppressionem huius canonis sed aliis Consultoribus placet ut maneat uti est. Consultores praeterea votum exprimunt ut consideretur tempore opportuno num hic canon aptius collocari possit in parte de iure poenali.

*Can. 101 (novus)*

*In unoquoque tribunali, quatenus fieri possit, stabiles patroni constituantur, ab ipso tribunali stipendum recipientes, qui munus advocati vel procuratoris in causis praesertim matrimonialibus pro partibus quae eos seligere malint, exerceant, secundum normas lege particulari statuendas.*

— Suggestum est ut deleantur verba « secundum normas lege particulari statuendas » (omnibus placet).

(F. VOTO, *Actuarius*)